

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0121

0119

0125

0115

0130

0110

0170

0070

0220

0020

0620

1120

Ende

Anfang

110

et cum frequenter instigare solebat et rogare, ut secum transfretaret in Alemanniam, et bene sibi facere vellet et quietem tribuere. Sed ad hoc Sarracenum inducere non potuit nulla ratione. Cumque venissent Chayrum, ubi Calinus solet derelinquere peregrinos et in Jerusalem reascendere, rogavit eum nobilis, ut secum descenderet Alexandriam, et ibi eum vellet dimittere. Et cum essent Alexandriae, practicavit (**B**) nobilis cum patrono, in cuius galea transfretare voluit, ut diem et horam recessus navis sibi soli notificaret; in sero ergo, quando navis erat in nocte futura solvenda, duxit nobilis Calinum secum in galeam, qui nec navis recessum suspicabatur, et aestimabat, se in crastinum redditum in civitatem. Intempesta autem nocte silentio soluta navi per ventum est longius in altum maris projecta, et ita Sarracenus manere cum eis coactus fuit et transfretare. Duxit autem miles eum ad Imperatorem et ad Papam, et viri bonitatem et pietatem eis exposuit, sed a sua infidelitate averti non potuit, et ita reductus Venetas per mare ad propria rediit. Et interim fideliores servitorem se omnium Christianorum exhibuit, munera enim magna ab Imperatore et a Papa et a nobilibus, reportavit, et de magna liberalitate et gloria Christianorum solet facere narrationem coram suis. In hujus viri probi domo manserunt, ut praemisi, domini peregrini, ad quos ego quasi cottidie descendit ingrediens et egrediens pro libitu meo. Et tantum de illo.

Vicesima quarta die convenimus nos peregrini in montem Syon ad tractandum simul de peregrinationibus faciendis in terra sancta. Deliberavimus autem, quod hos dies, quos in terra sancta essemus mansuri, nequaquam otio dare vellemus, sed nunc ad illum nunc ad istum locum peregrinari, et eramus omnes concordes in hac voluntate, sed hoc diabolus sufferre non volens seminavit zizaniam, et discordari coeperunt et sibi invicem dissentire in quaerendo loca sancta, et per consequens etiam in aliis. Nam in domo praedicta propter dissensiones habebant duos ignes, duas coquinas, duos coquos, et distinctas procurationes, quae omnia sub una cura levius et melius expedita fuissent. Unde domini primae et secundae

